

tis; receptaculo nudo, pappo simplici, sessili. **FOLIA** cordata, angulata, dentata, subtus pubescentia. **RADIX.**

**Q.** Totius plantæ recentis sapor mucilaginosus, subamarus, aeris et aliquantum aromaticus; odor gravis. Verisimile est, extractivo - amaro et scytodepsico parvo, multaque mucilagine virtutem ejus niti. Infusum Tussilaginis Farfaræ sulphate ferri obscure fucatur.

**V. Expectorans; demuleens.**

**U. Succi foliorum**, et totius plantæ, verno tempore expressi, in serofulosis glandularum stasibus efficacia celebratur, haud secus ac in ulceribus ejusdem indolis. Tussientibus ab omni ævo fuit commendata, potioremque inter pectorales locum tenuit; hinc phthisicis, lenta febre tabescentibus, pneumonicis, nec non raucis ex morbillorum causa. Permagni pendendum, arbitratu **FULLERI**, foliorum decoctum ad phthisin serofulosa eurandam, adeo, ut vel graviori illud sufficere contendat. Foliorum sumum, arundine vel infundibulo exceptum, tussi et orthopnoæ esse utilem, **DIOSCORIDES**, **GALENUS**, **PLINIUS**, asseverant; per sumisugam fistulam suetum odontalgiae accommodum esse, alii referunt. Folia siccatæ, instar theæ hausta, **BOYLE** contra tussim catarrhalē et asthmaticam suadet. **Dioscorides** in hisce morbis foliorum in aqua coctorum vaporem laudat.

**D. Decoctum** paratur ex uncia foliorum cum duabus aquæ libris; colatura sesquilibræ vasculatim saepius in die propinatur.

**ULMUS CAMPESTRIS.**

*Илья полесой; — длиноперемный; Вяз.*

Arbor procera, tam in australiori, quam frigidiori Europa crescens. **Cl. Pentandr.** **O. Digyn.** **O. N. Ulmaeæ.** *Usualis est:*

CORTEX ramulorum interior et arboris junioris (fuscus, tenuis, tenax). Majo mense colligendus.

Q. Rami tenelli mucilagine abundant; sed coctus et in extractum densatus succus manifeste adstrictiorius est, et sulphatem ferri e fusco nigrescenti colore præcipitat. VAUQUELIN in arboribus vetustis substantiam invenit peculiarem, *Ulminum* dictam, quam BRACONNOT ex aquarum mineralium mucilagine obtinuit. Sapor corticis subamarus, adstringens; odor nullus.

V. Adstringens; roborans; diuretica.

U. Nuperime facta experimenta docuerunt Ulmum campestrem vices sarsaparillæ haud inepte gerere posse. Suasor igitur sum, ut decoctum ejus, ad modum inter formulas indicatum, in cutis foeditatibus, uti psora, tinea, herpetibus, lepra lubentius præcipiatur; per idem decoctum extrinsecus admotum eruptio est oppugnanda. LETTSOM corticis efficaciam in illa etiam lepræ specie, quæ a SAUVAGESIO ichthyosis dicta est, laudibus effert. Ab aliis laudatur parimodo in ulceribus, arthrodynia, imprimis podagra, dysenteria, diarrhoea, hydrope et febribus intermittentibus.

#### VACCINIUM OXYCOCCOS.

OXYCOCCUS EUROPEUS. PERS.

Бруслиникъ журавлинный; Клюква; Журавлина.

Suffrutex in locis uidis Rossiæ septentrionalis crescens; foliis semper virentibus, integerrimis, revolutis, ovatis; caulibus repentibus, filiformibus, nudis. Cl. Octandr. O. Monogyn. O. N. Ericeæ. Usuales sunt:

BACCE RECENTES (*Клюква*); frigore tactæ rubropurpureæ, magnitudine pisi majoris, globosæ, undique glabrae. SUCCUS EARUNDEM.